





375


1772, 15.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**SEPARATIO LIBERORVM  
INVOLVAT RENVNCIATIO-  
NEM HEREDITATIS  
PATERNAE**

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT..  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.  
SOCIO  
IN AUDITORIO PETRINO  
DIE VIII. MAII ANNO CICICCLXXII.  
DEFENDET  
**FRIDERICVS LVDOVICVS LINGKIVS**  
DRESDENS.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVMPFIIS.



VIRO  
ILLVSTRI  
CONSULTISSIMO AMPLISSIMO  
EXCELLENTISSIMO  
**RUPERTO TRAVG.  
SVLZBERGERO**

VTRIVSQUE IURIS DOCTORI  
DYNASTAE IN CARSDORFF  
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE

CONSILIARIO

ET

AVLAE ET IVSTITIAE

NEC NON

SUPREMI TRIBVNALIS ECCLESIASTICI

PATRONO PIE VENERANDO.



VIR ILLVSTRIS  
CONSVLTISSIME AMPLISSIONE  
ATQVE EXCELLENTISSIME  
PATRONE SINGVLAREM MIHI  
IN MODVM COLENDE,

**G**ratulor mihi hanc longe exoptatam temporis  
opportunitatem, qua TIBI, VIR ILLV-  
STRIS, rerum ad iuris scientiam CONSVL-  
TISSIME, gratissimi animi mei significationem  
sinceramque meam reuerentiam, more inter litterarum  
cultores consueto palam declarare possem. Nulla  
sane obliuio in me jucundissimam illam insignis  
TVAE erga me benevolentiae documentorum bene-  
ficiarumque ex illa mihi prouenientium, memoria  
erit deletura. Recordatione enim dulcissima eorum  
emolumentorum, quae TVO singulari fauori TVAEque  
benignitati debo, gratitudinis meae vehementia  
magis magisque adeo augetur, vt verba animi TIBI  
obstrictissimi affectionem exprimere haud sufficient.  
Qua de re, vt pio isto desiderio ex parte satisfaciam,  
permittas, vt hancce dissertatiunculam, quam Consul-  
tissimi Praefidis benevolentia meam fecit, NOMINI  
TVO

TVO Celeberrimo sacram esse iubeam. Eximia  
TVA indulgentia continua veneratione mihi recolen-  
da, spem mihi facit certissimam, fore, vt hunc libel-  
lum tenuem, gratiarum actionis indicem, placido vul-  
tu suscipias. Numen autem, quod supplex veneror  
sanctissimum, deuotissimis imploro precibus, vt TE  
vna eum CONIVGE TVA pari mihi reverentia  
Colenda per longissimum adhuc temporis spatium sal-  
uum atque in columem seruet, omni que prosperitatis  
genera, quae vitam vere reddit feliciorem, cumulet,  
TVISque conatibus saluberrimis praebeat exitum felici-  
ssimum. Hoc vnicum autem pro humanitate TVA  
addere liceat, vt et in futurum me TVO Patrocinio  
non penitus indignum iudicare, meosque TVAE ami-  
citiae iudicioque benevolentissimo commendatos esse  
velis.

## N O M I N I S T V I ILLVSTRIS

Lipfiae,  
die vi. Maii,  
MDCCLXXIII.

O B S E R V A N T I S S I M V S

F R I D E R I C . L V D O V . L I N G K I V S  
R E S P O N D E N S .



AN

SEPARATIO LIBERORVM  
INVOLVAT RENVNCIATIONEM  
HEREDITATIS PA-  
TERNAE.

---

§. I.

Quamvis quidem Romanorum iurisprudentia paetra, quae successionem in uniuersum defuncti ius constituebant, improbabat; tamen non videtur aequitas illius civilis iuris omnibus, quae circa successionem in alterius defuncti bona, contrahebantur paetra penitus im-

A 2

proba-

2

probare. Apud PAVLVM enim in L. 3. §. 2. ff. pro socio.  
adeo circa hereditatem acquisitam societas inita appetet.  
Sic verba: *De illo quaeritur, si ita SOCIETAS, vt, si qua  
iusta HEREDITAS alterutri obuenierit, communis sit: quae  
iusta hereditas: virum quae iure legitimo aduenit, an etiam  
ea, quae testamento; et probabilis est, ad legitimam heredi-  
tatem tantum hoc pertinere.* Plenius et rectius de pactis  
circa hereditates ineundis dispositus Imperator IVSTI-  
NIANVS in L. 30. C. de pactis. Integra Constitutionis  
verba dabimus. Ait: *De quaestione tali a Caesariensi ad-  
vocatione interrogati sumus: Duabus vel pluribus personis  
spes alienae hereditatis fuerat ex cognatione forte ad eos de-  
voluendae, pactaque inter eos inita sunt pro aduentura here-  
ditate, quibus specialiter declarabatur, si ille mortuus fuerit,  
et hereditas ad eos peruerterit, certos modos in eadem here-  
ditate obseruari: vel si forte ad quosdam ex his hereditatis  
commodum peruerterit, certas pactiones eueniare.* Et dubita-  
batur, si huiusmodi pacta seruari oportaret. Faciebat autem  
eis quaestione: *quia adhuc superfluite eo, de cuius hereditate  
sperabatur, huiusmodi pactio processit: et quia non sunt ita  
confecta, quasi omnimodo hereditate ad eos peruentura, sed  
sub duabus conditionibus composita sunt: SI ILLE MOR-  
TVS EVERIT, et SI AD HEREDITATEM VO-  
CENTVR HI, QVI HVIV\$MODI PACTIONEM  
FECERVNT.* Sed nobis omnes huiusmodi pactiones ODIO-  
SAE esse videntur, et plenae triflissimi et pericolosi eventus.  
Quare enim quodam viuente et ignorantie, de rebus eius qui-  
dam pacientes conuenient: Secundum veteres itaque regu-  
las SANCIMVS: omnino huiusmodi pacta, quae contra bo-  
nos mores inita sunt, repelliri, et nihil ex his pactionibus obser-  
uari: *NISI IPSE forte, de cuius hereditate pactum est,*

VO-

VOLVNTATEM SVAM EIS ACCOMMODAVERIT, et in ea usque ad EXTREMVM VITAE SVAE SPACIVM PERSEVERAVERIT. Tunc etenim sublata acerbissima spe licebit eis illo sciente et iubente huiusmodi pactiones seruare: quod ctiam anterioribus legibus et constitutionibus non est incognitum, licet a nobis clarissimum est introductum.

§. II.

An vero eodem iure licuerit de non acquirenda hereditate pacisci, vel, an valuerint, quae vocant, pacta renunciativa, quaestio est dubia. De delata hereditate non minus ac de nondum delata repudianda vix videtur Praetor seruasse pacta, partim, quod pactis acquirere non licuerit hereditates, partim, quod morientium voluntates magis tuebatur Praetor, teste **VLPIANO** in *L. i. pr. ff. Si quis omessa causa.* Sed si ad fori nostri autoritatem respicimus, neque in acquirenda, neque in renuncianda hereditate romani iuris autoritatem seruavimus. Sane dubium non est, forum nostrum haud improbare acquisitionem hereditatis per pactum, hincque non improbare posse renunciationem pactitiam. Prius appetet ex pactis nuptialibus inter coniuges, quae de successione futura agunt coniugum inter se. Neque negandum, his pactis adeo liberorum successionem definiri posse, ne postea illa nuptialia pacta corruant ex regula illa iuris patrii: *Kinder Zeugen bricht Ehesiftung.* Renunciativa pacta vero duplici modo cogitari possunt: Aut enim paciscuntur inter se, ad quos hereditas per-

uentura est, aut pacificatur pater, qui heredes suos relicturus est, cum suo herede, ut renunciet hereditati. Quod ad prius argumentum pertinet, semper in se continet conditionem tacitam: *SI HEREDITAS RENVN- CIANTI FVERIT DELATA.* Quod si vero filius, vel filia pacta sit cum patre de renuncianda hereditate; patris in arbitrio positum est, an suo ex renunciatione quae-  
fido iuri ipsem renunciare velit, filiamque vel filium, renunciatione licet facta, heredem postea instituere.

## §. III.

Haec renunciatio per pactum valida omnino erit, licet iureuando confirmata non sit, quod expresse videtur comprobare EPKOV. de REPKOIVS im Land-Recht L. I. art. 13. vbi scriptum: Hätten sie auch ihre Erbteilung daran verlobt, (renunciauerint) der soll sie emperen, sie wiederreden es denn auf den Heilsigen. (i. e. si a renunciatione facta iuramento se purgauerint.) Verloben sie es aber vor Gericht, so mag man sie daß überzeugen, dann sie es unschuldig mögen werden. (i. e. tunc ad purgatorium admittendi non sint.) Hanc patrii iuris dispositionem limitauit IVS ELECTORALE SAXON. *Constit. XXXV. part. II.* ex opinione Iureconsultorum, qui putant feminam renunciare tantum *jurato* posse hereditati, quae opinio maxime defenditur a CARPOV. *Part. II. const. XXXV. def. 7.* quam alii, inter quos est BERGERVS in Oecon. *Iur. L. II. Tit. IV. th. XLVIII. n. 5.*

de

de sola filia intelligunt renunciatura hereditati paternae; quippe in *cir. Constit. Ele&t. filiae tantum mentio, cuiusque sententiae in foro vsum egregie docet Illu&str. HOMMELIUS Rapsod. Obs. LXIII.* Sed haud nego, ex Constitutione ipsa mihi enasci dubium. Loquitur enim *Con&st. alleg. vi inscriptionis non de eo argumento: quomodo hereditati renunciandum sit; sed de speciali quaestione, quae circa renunciationem factam mota: Ob eydliche Verzicht oder Verträge, darinnen die Vart enor-missine und weit über den halben Werth verkürzet, wegen solcher großen Laesion und Verlezung zu hinterziehen sey.* Constat enim iure hoc electorali, transactiones adeo ob laesionem vltra dimidium rescindi posse. Negat vero nostra constitutio, pactiones iureiurando confirmatas ob laesionem enormissimam rescindendas. Addit speciem singularem, in qua nonnulli admittendam censebant iuri-siurandi relaxationem: scil. Wenn ein Vater eine Toch-ter ausgesteuert, die gegen ihre Mitgift eydliche Verzicht ge-than, und der Vater wäre darnach reicher worden, dann er zur Zeit der Aussteuerung gewesen, daß die Tochter, unange-sehn der eydlichen Verzicht, alsdenn ex augmento ferner Anforderung haben sollte. Sed constituit Serenissimus legislator: Dieweil aber aus vieler bewährter Rechtsverständi-ger Meynung dawider geschlossen wird, welche den Eyd der Laesion vorziehen, so solle sich ic. Concluderem magis, hac specie, si post renunciationem, dotationem prius facta, non iuratam patris bona aucta fuerint, ob laesionem re-nunciationem rescindi posse. Nulla vero hic dispositio, vt necessario fiat renunciatio iurata.

§. IV.



## §. IV.

Sicuti vero nemo de suo iure quid remississe eensem-  
dus, neque renunciasio iuris successionis praesumenda,  
cumque ea, quae detrimento esse possunt, per extensi-  
um interpretationem subintelligi nequeunt, et in iis  
causis magis stricta semper interpretatio adhibenda; fa-  
cillime patet, quid de quaestione dubia statuendum sit:  
*An separatio liberorum inuoluit renunciationem paternae her-  
editatis.* Distinctius quaestio tractanda est.

## §. V.

*Separatio* liberorum a potestate parentum dupl. ci  
effectu fieri potest. *Vel* enim suscipitur ad effectum  
emancipationis sua oeconomicia instituta, *vel* fit simul par-  
titione bonorum interueniente. Quod ad virtualem il-  
lam emancipationem seu germanicam spectat, cum ea pa-  
tria tantum potestas tollatur, neque familiae agnationis  
que reliqua iura, per se patet, in hac ipsa separatione  
non deprehendi renunciationem successionis paternae.  
Comparant quidem docti hanc separationem oeconomicae  
cum romana emancipatione, ex qua facile posset concili-  
di, hanc separationem necessario familiae atque agnatio-  
nis iura tollere debere, cum romanae emancipationis,  
sublata patria potestate, effectus is fuerit, ut simul omne  
succedendi ius amiserint, donec iis Praetor subuenerit.  
Sed salua est res. Nam nunquam a romana illa emancipatio-  
ne validum duci poterit argumentum ad emancipationem  
illam, cuius ex solis germanorum moribus origo definienda.

Maxi

Maxime THOMASIVS diss. de quasi emancipatione germanic. consulendum in hac specie, probauit, romanae emancipationis vsum exiguum, quaeque ab doctis viris dicantur, ex GLOSSA ad *Ius Prou. Saxon.* deponita esse. Certum est, nec Germanos vñquam agnouisse romanam potestatem patriam, quae, quantum etiam fuerat postea limitata, semper tamen dominium limitatum continebat. Propius ad ipsam naturam accedebant nostri maiores, qui dominium in liberos parentibus haud tribuebant, sed quae ad educandum necessaria, in his patriam potestatem quaerebant, vt puta disciplinam, et in compensationem alimentorum acquisitionem per liberos. Facile patet, nexum pietatis, amoris et reuerentiae, quaeque inde introducta moribus erant iura, nunquam inter populares, sublata patria potestate, cessasse, sed tantum cessasse disciplinam atque acquisitionem, si adulti fuerint liberi. Haec ergo separatio occomiae salua relinquebat pietatis amorisque effectus et obligationes inter parentes et separatos liberos, vt salua semper iis maneret successio in paterna bona eo defuncto. Non itaque continet haec separatio renunciationem hereditatis paternae, sed separatus filius patri defuncto succedit saluo reliquorum coheredum fratribus sororumque iure exigendi collationem eorum bonorum, quae a patre olim in separatum profecta sunt, nisi forsan illa profectitia ex legis autoritate immunitatem habeant a necessitate conferendi. Sed haec satis trita et nota: dixit praeterea satis BOEHMERVS diss. de statu liberor. sui juris factor. per separation. et nuprias, et BARTHIVS de emancipat. Saxonica. Neque obiectio, quae ex romano iure antea a nobis allata, quidquam potest efficere, quominus nostra vsu fori et moribus confir-

B

mata



mata stet sententia. Nam et nouissimo illo iure romano Iustinianeo, quo omnis inter suos interque emancipatos sublata differentia, emancipatio impedimento esse nequit, quominus per separationem emancipati succedere patris in hereditate possent.


## §. VI.

Quid vero? si separatio facta partitione bonorum interueniente, an haec inducat renunciationem hereditatis paternae. Si statuto vel lege ita dispositum, ut, si liberi separantur diuisis cum patre bonis, ex hereditate demum paterna nihil ab intestato consequantur, nulla est dubitatio, hinc, quae passim apud M E V I V M ad Ius Lubencense collecta sunt, non transcribo. Dicamus tantum de eo argumento, quo nihil lege continetur, ex quo separatione facta renunciatio hereditatis paternae subintelligenda sit. Fac, patrem separare filium data bonorum portione ad instruendam vitae suae futurae conditionem: an haec separatio inuoluat renunciationem, licet etiam haec bonorum quantitas filio separato data sit aequalis portioni legitimae, quam dein aliquando mortuo patre ex eius bonis sperare potuisset. Neque a successione in reliqua bona ab intestato paterna excludendum filium censeo. Vel enim ipsa patris intentio repugnat, qui ideo bonorum partem dedit, quo futurae vitae suae commodam instruere posset conditionem: non, quo eum aliquando a reliquis bonis exheredem quasi esse vellat. Et quid! si eam etiam intentionem animi habuisset, ne quid amplius ex bonis paternis capere possit; sibi imputet, quod

hanc suam intentionem non exposuerat legitime, vel interueniente a filio renunciatione, vel interposito testamento, quo filium contentum accepta sua portione esse iubebat cumque a conferendi necessitate liberabat. Salua ergo, licet acceptis bonis, a re familiari sua separato filio manet successio in bonis paternis, salua collatione prosectoriorum. Neque aliter res sese habet in filia elocata, per quam elocationem quoque sit, bonorum partitione interueniente, separatio. Nihilominus ea separatio non adimit filiae ius succedendi, sed mortuo patre, collatione dotis facta, adhuc ad patris hereditatem admittitur.

## §. VII.

Ex his ergo consequimur, nudam separationem non adimere successionem, nisi accidente renunciatione expressa, quippe praesumi ea nequit. Excludit ergo a iure succedendi ab intestato, ita, ut legitima quidem postea peti possit, si cum separatione interueniente bonorum partitione renunciatio hereditatis paternae coniuncta sit. Vocant eiusmodi liberos Abgesonderte, Abgetheilte, abgefundene Kinder, die ihr bescheiden Theil erhalten haben. Siue ergo pater moriatur intestatus, siue testatus, amplius ad hereditatem paternam eos admittendos non censent, v. BESOLDVM Thesaur. Pract. v. Verlassenschaft, Theilrecht, et LYNCKER Decif. DXXIX. His non obstantibus autoritatibus mihi videtur admodum generalis haec opinio. Nam, cum non tantum ad pactum semper in genere respiciendum, sed ad ver-



ba paeti atque intentionem paciscentium, ita, vt in iis speciebus, ex quibus alter detrimentum sentire potest, stricta seruetur interpretatio; putauerim respicendum esse, qua intentione a patre expressa illa separatio susceppta atque renunciatio facta. Fingamus patrem a re sua familiaris separasse filium in fauorem liberorum reliquorum, vel eiusdem matrimonii, vel secundorum votorum, atque hac intentione, vt hi fratres vel bilaterales, vel vnitaterales aliquando soli succedant in rebus aliquando morituri patris: mihi videtur, ultra hanc species separationem illam extendi non posse. Quapropter, si postea contingat, vt, turbato mortalitatis ordine, moriantur fratres, in quorum fauorem renunciatio cum separatione facta: dubium non est, cessante renunciationis causa, cessare quoque renunciationis effectum. Vel si in fauorem liberorum posterioris matrimonii separatio illa suscepta, et contingat, vt, vel qui nati, prae-moriantur, vel nulli ex hoc matrimonio sperati liberi postea nascantur; effectum pariter amittet facta separatio cum renunciatione.

#### §. VIII.

Contra vero separatio generaliter interdum fieri potest renunciatione facta in nullius fauorem, ita, vt ex ea renunciatione pater, qui bona cum filio renunciante partitur, liberam exinde acquirat facultatem bona relinquendi, vel proximis tunc ab intestato hereditibus, vel coniugi, vel cuiuscunque sua relieturus fuerit bona testamento. Haecce separationis species maxime separato omne omnino admittit succedendi ius non tantum

tum ab intestato, sed, ut propterea ne quidem, licet extraneus heres institutus sit, paternum testamentum ob praeteritionem nullitatis querela impugnare possit, et si de facto impugnet, querela nullitatis instituta, exceptio ne separationis cum renunciatione in reliquam hereditatem repellatur. Sed an separatione facta cum renunciatione in omne ius hereditarium, possit agere contra testamentum, si appareat, partem bonorum, quam accepit, non continere legitimam portionem. Sunt, qui putant admitti posse adhuc ad impugnandum testamentum actione ad supplementum legitimae petendum separatum filium renunciantem. Sed, cum in hereditatem paternam, praeterquam in legitimam, nullum ius perfectum habeat filius, si legitimam sub hereditate paterna, cui renunciauit, non intelligas, nihil egisset renunciando filius, cum patri semper liberum est, relicta legitima filio, in reliqua hereditate, quem velit, heredem instituere. Magis ergo renunciatione legitime facta excluditur ab omni hereditate, adeoque a portione legitima, quare ex capite laesioris in supplementum agere nequit, cui sententiae adstipulatur BOEHMERVS in *Introductione in Ius Digest.* L. XXVIII. post. Tit. XVII. in *Ordin. succed. ex Nouell.* §. 32, qui tamen, absque dubio ob dissentientes, addit: *quamvis consilius sit, in specie legitimae mentionem in renunciatione facere.* De Electorali Iure adhuc dubitari posset, cum supra dictum, posse non iuratam renunciationem ob enormissimam laesioris rescindi. Saltem si appareat, ex separatione filiam ne dimidiari quidem legitimae portionis accepisse, nisi iuramento confirmata sit, impugnare posse renunciationem in separatione factam ob autoritatem p. II. const. 35.

## §. IX.

At, si fingamus, in separatione patrem legitimam portionem promisisse separato, ex qua promissione renunciauerit reliquae hereditati: postea mortuo patre apparet, separatum tunc legitimam integrum non accepisse, quaeritur: an ad supplementum suae portionis legitimae agere possit, an vero repellri possit exceptione renunciationis hereditatis paternae? Dabimus, partem tanquam legitimam in separatione promissam soluisse tria millia vallenium: mortuo eo apparere, legitimam quinque millibus vallenium constituisse; an repetet, non obstante renunciatione duo millia vallenium ad supplementam portionem legitimam in separatione facta promisam. Et mihi non videtur dubitari posse, filium recte, quod legitimae deest, tunc petere posse. Pater enim in separatione facta non certum quantum ex bonis, sed indefinite legitimam promisit, haec ergo ex quantitate bonorum aestimanda, si itaque minus dederit pater, quam veram legitimae quantitatem, errans forsan in bonorum suorum aestimatione, hoc filio nocere nequit, qui renunciauerat, non omni hereditati paternae, sed ei tantum, quae excedit legitimam portionem. Renuntiatio enim ultra intentionem renunciationis extendi nequit, neque acceptio datae summae loco legitimae eidem documento esse potest, quippe hereditas viuentis nulla est, atque legitima tantum computanda ex bonis defuncti. Videtur ergo, quantum dederat pater in legitimam dedisse, cuius quantitatem certam absque omnium suorum bonorum aestimatione scire non poterat, quo ipso saluum separato mansit filio ius illud, quod deesset legi.

legitimae, adhuc exigendi. Neque obstabit, si iurato reliqua hereditati renunciauerit, quominus, quod deerat legitimae portioni, adhuc petere possit: non enim omni, sed reliqua tantum hereditati renunciauerat filius.

## §. X.

Tandem circa illam renunciationem noua dubitatio oriri posset, si renunciatio legitimate facta hereditatis, in separatione inita, postea patri placuerit separatum nihilominus heredem scribere in testamento, si partem in testamento relictam exigat separatus, an exceptione renunciationis hereditatis paternae repellri possit. Et magis est, eum non repellri posse. Cedam quidem, si cum ipsis coheredibus pactus sit de non petenda hereditate paterna neque *ab intestato*, nec ex *testamento*, tunc renunciantem separatum agere non posse ex *testamento*, si vel ad diuidendam hereditatem vel ad eam petendam acturus sit. Sed de hac specie quaestio non est. Agimus potius de ea renunciatione, quae patri facta est in separatione. Cum ex hoc pacto renunciatio pater tantum ius consequitur, non aequa ipsis heredes, nisi hoc sibi quae situm ius pater in eos transmisit: liberum erit patri, suo iuri quae sito quoque renunciare atque renunciationem factam denuo remittere. Remittet vero, simulac in *testamento* separatum heredem instituit. Renunciatio enim tantum efficit, vt, quamvis ius ex *Legge* haberet ad hereditatem paternam, si non renunciasset filius separatus, hoc iure cadat, neque audiendus sit, si hereditatem paternam petere voluisse, sed semper obstet exce-



10

exceptio renunciationis hereditatis paternae. At, si renunciationem remisit pater, sive nullum ex renunciatione quae situm ius transmisit in heredes suos, his nulla amplius exceptio competere poterit. Neque nocet, licet in separatione pater expresserit, se nolle separatum heredem post renunciationem factam scribere in testamento. Hominis enim voluntas libera esse debet, neque clausulae, quae testandi libertatem adimunt, efficiunt habere possunt, et si pater voluntatem, de non instituendo separatum, postea immutauerit heredemque scripsiterit, recte admittendus erit ad partem hereditatis, in qua institutus est.



Leipzig, Diss., 1772 A-R



f

TA-70L

nur 23. Stck. höher verka.



1772, 15.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERST  
AN  
**SEPARATIO LIBERORVM  
INVOLVAT RENVNCIATIO-  
NEM HEREDITATIS  
PATERNAE**

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAE SIDE

**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE VIII. MAII ANNO CICICCLXXII.

DEFENDET

**FRIDERICVS LUDOVICVS LINGKIVS**

DRESSENS.

---

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIS.

B.I.G.

Black

White

Magenta

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20  
Centimetres  
2.5 5 7.5 10 12.5 15 17.5 20 22.5 25 27.5 30 32.5 35 37.5 40 42.5 45 47.5 50

**Farbkarte #13**

